

ciet te in gaudium inimicis. Ne oblecteris in turbis, nec immodicis delecteris¹.

Et post quinque versus : Et qui spernit modica, paulatim decidet. Vinum et mulieres apostatate faciunt sapientes, et arguunt sensatos. *Et post aliquot versus* : Qui credit cito, levis corde est, et minorabitur : et qui delinquit in animam suam, insuper habebitur. *Et post duos versus* : Et qui odit loquacitatem, extinguit malitiam. *Et post octo versus* : Audisti verbum adversus proximum, commoriatur in te, fidens, quoniam non te disrumpet. A facie verbi parturit fatuus, tanquam gemitus partus infantis. Sagitta infixæ femori carnis, sic verbum in ore stulti. Corripe amicum, ne forte non intellexerit, et dicat : Non feci ; aut si fecit, ne iterum addat facere. Corripe proximum, ne forte non dixerit ; et si dixerit, ne forte iteret. Corripe amicum ; sæpe enim fit commissio : et non omni verbo credas. Est qui labitur in lingua sua, sed non ex animo. Quis est enim qui non deliquerit in lingua sua ? Corripe proximum antequam commineris ; et da locum timori Altissimi : quia omnis sapientia timor Dei, et in illa timere Deum. *Et post quinque versus* : Melior est homo qui deficit sapientia, et deficiens sensu in timore, quam qui abundat sensu, et transgreditur legem Altissimi².

Et post sexdecim versus : Quam bonum est arguere quam irasci. *Et post aliquot versus* : Et qui potestatem sibi assumit injuste, odietur. *Et post octo versus* : Sapiens in verbis se ipsum amabilem facit. *Et post sexdecim versus* : Lapsus falsæ linguæ quasi qui de pavimento cadens, sic casus malorum festinanter veniet. Homo acharis quasi fabula vana, in ore disciplinatorum assidua erit. Ex ore fatui reprobabitur parabola : non enim illam dicit

¹ Eccli. xviii, 14-32. — ² Id. xix, 1-21.

in tempore suo. *Et post duos versus* : Est qui perdit animam suam præ confusione, et ab imprudenti persona perdet eam ; personæ autem acceptione perdet se. Est qui præ confusione promittit amico, et lucratus est eum inimicum gratis. Opprobrium nequam in homine mendacium, et in ore indisciplinatorum assidue erit. Potior fur quam assiduitas viri mendacis : perditionem autem ambo hæreditabunt. Mores hominem mendacium sine honore, et confusio illius cum ipso sine intermissione. Sapiens in verbis producet se ipsum. *Et post quatuor versus* : Xenia et dona excæcant oculos iudicium, et quasi mutus in ore avertit correptiones eorum. Sapientia absconsa, et thesaurus invisus, quæ utilitas in utriusque. Melior est in hominibus qui abscondit insipientiam suam, quam qui abscondit sapientiam suam¹.

Fili, peccasti, ne adjicias iterum : sed et de præteritis deprecare, ut tibi remittantur. Quasi a facie colubri fuge peccata ; et si accesseris ad illa, suscipient te. Dentes leonis, dentes ejus, interficientes animas hominum : quasi rhomphæa bis acuta omnis iniquitas ; plagæ illius non est sanitas. *Et post quatuor versus* : Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris ; et qui timet Deum, convertetur ad cor suum. *Et post quinque versus* : Via peccantium complantata lapidibus ; et in fine illorum inferi et tenebræ et pœnæ. Qui custodit justitiam, continebit sensum ejus. Consummatio timoris Dei, sapientia et sensus. *Et post aliquot versus* : Verbum sapiens quodcumque audierit sciens, laudabit, et ad se adjiciet : audiet luxuriosus, et displicebit illi, et projiciet illud post dorsum suum. Narratio fatui quasi sarcina in via : nam in labiis sensati inveniatur gratia. Os prudentis quæritur in Ecclesia, et verba illius cogitabunt in cordibus suis. *Et*

¹ Eccli. xx, 1-33.

post duos versus : Compedes in pedibus stulto doctrina, et quasi vincula manuum supra manum dexteram. Fatuus in risu, exaltat vocem suam : vir autem sapiens vix tacite ridebit. Ornamentum aureum prudenti doctrina, et quasi brachiale in brachio dextro. *Et post octo versus* : In ore fatuorum cor illorum, et in corde sapientium os illorum. Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipse animam suam. Susurro coinquinabit animam suam, et in omnibus odietur : et qui manserit, odiosus erit : tacitus et sensatus honorabitur¹.

In lapide luteo lapidatus est piger, et omnes loquentur super aspersionem illius. *Et post quatuor versus* : Filia prudens hæreditas viro suo : nam quæ confundit, in contumeliam fit genitoris. Patrem et virum confundit quæ audax est, et ab impiis non minorabitur, ab utrisque autem inhonorabitur. Musica in luctu, importuna narratio : flagella et doctrina, in omni tempore sapientia. Qui docet fatuum, quasi qui conglutinat testam. Qui narrat verbum non attendenti, quasi qui excitat dormientem de gravi somno. Cum dormiente loquitur, qui enarrat stulto, et in fine dicit : Quis est hic ? Super mortuum plora, deficit enim lux ejus : et super fatuum plora, deficit enim ei sensus. Modicum plora super mortuum, quoniam requievit : nequissimi enim nequissima vita super mortem fatui. Luctus mortui septem diebus : fatui autem et impii, omnes dies vitæ illorum. *Et post viginti et unum versus* : Mittens lapidem in volatilia, dejiciet illa : sic et qui conviciatur amico, dissolvit amicitiam. Ad amicum et si produxeris gladium, non desperes : est enim regressus. Ad amicum si aperueris os triste, non timeas ; est enim concordatio : excepto convicio, et improprio, et superbia, et mysterii revelatione, et plaga dolosa : in his

¹ Eccli. xxi, 1-31.

omnibus effugiet amicus. *Et post decem versus* : Quis dabit ori meo custodiam, et super labia mea signaculum certum, ut ne cadam ab ipsis, et lingua mea perdat me¹.

Domine pater et dominator vitæ meæ, non relinquant me, et ne sinas me cadere in illis. Quis superponet in cogitatu meo flagella, et in corde meo doctrinam sapientiæ, ut ignorationibus eorum non parcant mihi, et non appareant delicta illorum : ne adincrescant ignorantia meæ, et multiplicentur delicta mea, et peccata mea abundant, et incidam in conspectu adversariorum, et gaudeat inimicus meus ? Domine, pater et Deus vitæ meæ, ne derelinquant me in cogitatu illorum. Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, et omne desiderium averte a me. Aufer a me ventris concupiscentias ; et concubitus concupiscentiæ ne apprehendant me ; et animæ irreverenti et infrunitæ ne tradas me. Doctrinam oris audite, filii ; et qui custodierit illam, non periet labiis suis, nec scandalizabitur in operibus nequissimis. In vanitate sua apprehenditur peccator, et superbus et maledicus scandalizabitur in illis. Jurationi non assuescat os tuum ; multus enim casus in illa. Nominatio vero Dei non sit in ore tuo assidue, et nominibus sanctorum non admiscearis ; quoniam non eris immunis ab eis. Sicut enim servus interrogatus assidue, a livore non minuitur : sic omnis jurans et nominans in toto a peccato non purgabitur. Vir multum jurans implebitur iniquitate, et non discedet a domo illius plaga. Et si frustraverit, delictum illius super ipsum erit : et si dissimulaverit, delinquit dupliciter. Et si in vacuum juraverit, non justificabitur : replebitur enim retributione domus illius. *Et post quatuor versus* : Indisciplinationi non assuescat os tuum : est enim in illa verbum peccati. Memento patris, et matris tuæ ; in medio enim magnato-

¹ Eccli. xxii, 1-33.

rum consistis : ne forte obliviscatur te Deus in conspectu illorum, et assiduitate tua infatuatus improprium patiaris et malisses non nasci, et diem nativitatis tuæ maledicas. Homo assuetus in verbis improprii, in omnibus diebus suis non erudietur. Duo genera abundant in peccatis, et tertium adducit iram et perditionem. Anima calida quasi ignis ardens non extinguetur, donec aliquid glutiat : et homo nequam in ore carnis suæ non desinet, donec incendat ignem. *Et post duos versus* : Omnis homo qui transgreditur lectum suum, contemnens in animam suam¹, et dicens : Quis me videt ? tenebræ circumdant me, et parietes cooperiunt me, et nemo circumspicit me ; quem verear ? delictorum meorum non memorabitur Altissimus, et non intelliget, quoniam non videt oculus illius : quoniam expellet a se timorem Dei huiusmodi hominis timor, et oculi hominum timentes illum. Et non cognovit, quoniam oculi Domini plus multo lucidiores super solem, circumspicientes omnes vias hominum et profundum abyssi, et hominum corda intuentes in absconditas partes².

Et paulo post : Quæ in juventute tua non congregasti, quomodo invenies in senectute tua ? Quam speciosum canitiei iudicium, et presbyteris cognoscere consilium. Quam speciosa veteranis sapientia, et gloriosis intellectus et consilium. Corona senum multa peritia, et gloria illorum timor Dei. *Et post decem versus* : Timor Dei super omnia se superposuit. Beatus cui donatum est habere timorem Dei. Qui timet illum, cui assimilabitur ? *Et post viginti versus*. Ne respicias mulieris speciem, et non concupiscas mulierem in specie³.

Et post triginta tres versus : Mulier ebriosa ira ma-

¹ Forte in animo suo. — ² Eccli. xxiii, 1-28. — ³ Id. xxvi, 5-8, 14, 15 et 28.

• gna, et contumelia, et turpitudine illius non contegetur. Fornicatio mulieris in extollentia oculorum et in palpebris illius agnosceatur. In filia non avertente se, firma custodiam, ne inventa occasione utatur se. Ab omni irreverentia oculorum cave ; et ne mireris si te neglexerit. *Et post quatuor versus* : Gratia mulieris sedulæ delectabit virum suum, et ossa illius impinguabit disciplina illius. Datus Dei mulier sensata et tacita : non est immutatio eruditæ animæ. Gratia super gratiam, mulier sancta et pudorata. Omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ. *Et post duodecim versus* : Et qui transgreditur a justitia ad peccatum, Deus paravit eum ad rhomphæam¹.

Et post quatuor versus : Et qui quærit locupletari, avertit oculum suum. *Et post tres versus* : Conteretur delictum. Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua. Sicut in pertusura cribri remanebit pulvis, sic aporia hominis in cogitatu illius. Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis. Sicut rusticatio de ligno ostendit fructum illius, sic verbum ex cogitatu hominis cordis. Ante sermonem non collaudes virum, hæc enim tentatio est hominum. Si sequaris justitiam apprehendes illam ; et indues quasi poderem honoris, et habitabis cum ea, et proteget te in sempiternum, et in die agnitionis invenies firmamentum. Volatilia ad sibi similia conveniunt, et veritas ad eos, qui operantur illam, revertetur. Leo venationi insidiatur semper, sic peccata operantibus iniquitatem. Homo sanctus in sapientia manet sicut sol : nam stultus sicut luna immutatur. In medio insensatorum serva verbum ; tempori : in medio autem cogitantium assiduus esto. Narratio peccantium odiosa, et risus eorum in delictis peccati. Loquela

¹ Eccli. xxvi, 11-20 et 27.

multum jurans horripilationem capiti statuet, et irreverentia ipsius obturatio aurium. Effusio sanguinis in rixa superbiorum, et maledictio illorum auditus gravis. Qui denudat arcana amici, perdit fidem, et non inveniet amicum ad animum suum. Dilige proximum, et conjungere fide cum illo : quod si denudaveris abscondita illius, non persequaris post eum. Sicut enim homo qui perdit amicum suum, sic qui perdit amicitiam proximi sui. Et sicut qui dimittit avem de manu sua, sic reliquisti proximum tuum, et non eum capies. Non illum sequaris, quoniam longe abest. Effugit enim quasi caprea de laqueo; quoniam vulnerata est anima ejus; et ultra eum non poteris colligare. Et maledicti est concordatio : denudare autem amici mysteria, desperatio est animæ infelicis. Annuens oculis fabricat iniqua, et nemo eum abjiciet. In conspectu oculorum tuorum condulcabit os suum, et super sermones tuos admirabitur : novissime autem pervertet os suum, et in verbis tuis dabit scandalum. Multa odivi, et non coæquavi ei; et Dominus odiet illum. *Et post duos versus* : Qui foveam fodit, decidet in illam; et qui statuit lapidem proximo, offendet in eo; et qui laqueum alii parat, peribit in illo. Facienti nequissimum consilium, super illum devolvetur; et non agnoscat unde adveniet illi. Illusio, et improperium superbiorum, et vindicta sicut leo insidiabitur illi. Laqueo peribunt qui oblectantur casu justorum¹.

Et post tres versus : Qui vindicari vult a Deo, inveniet vindictam, et peccata illius servans servabit. Relinque proximo tuo nocenti te, et tunc deprecanti tibi peccata solventur. Homo homini reservat iram, et a Deo quærit medelam. In hominem similem sibi non habet misericordiam, et de peccatis suis deprecatur. Ipse cum caro sit, reservat iram, et propitiationem petit a Deo. Quis exora-

¹ Eccli. xxvii, 1-32.

bit pro delictis illius? Memento novissimorum, et desine inimicari : tabitudo enim, et mors imminet in mandatis Dei. Memorare timorem Dei, et non irascaris proximo. Memorare testamenti Altissimi, et despice ignorantiam proximi. Abstine te a lite, et minues peccata. Homo enim iracundus incendit litem; et vir peccator turbabit amicos, et in medio pacem habentium immittit inimicitiam. *Et post quatuor versus* : Certamen festinatum incendit ignem, et lis festinans effundit sanguinem, et lingua testificans adducit mortem. Si sufflaveris, quasi ignis exardebit : etsi expueris super illam, extinguetur : et utraque ex ore proficiscuntur. Susurro et bilinguis maledictus : multos enim turbavit pacem habentes. Lingua tertia multos commovit, et dispersit illos a gente in gentem. Civitates muratas divitum destruxit, et domos magnatorum effodit. Virtutes populorum concidit, et gentes fortes dissolvit. Lingua tertia mulieres viratas ejecit, et privavit illas de laboribus suis. Qui respicit illam, non habebit requiem, nec habebit amicum in quo requiescat. *Et post aliquot versus* : Verbis tuis facito stateram, et frenos ori tuo rectos : et attende ne forte labaris in lingua, et cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi, et sis casus tuus insanabilis in mortem¹. Qui facit misericordiam, foenerat proximo : et qui prævalet manu, mandata servat. Foenera proximo tibi in tempore necessitatis illius : et iterum redde proximo tuo in tempore suo. Confirma verbum, et fideliter age cum illo : et in omni tempore invenies quod tibi necessarium est. Multi quasi inventionem aestimaverunt foenus, et præstiterunt molestiam iis qui se adjuverunt. *Et post tredecim versus* : Verumtamen super humilem animo fortior esto, et pro elemosyna non trahas illum. Propter mandatam assume pauperem, et propter

¹ Eccli. xviii, 1-30.

inopiam illius te dimittas eum vacuum. Perde pecuniam tuam propter fratrem et amicum, et non abscondas illam sub lapide in perditionem. Pone thesaurum tuum in præceptis Altissimi; et proderit tibi magis quam aurum. Conclude eleemosynam in corde pauperis; et hæc pro te exorabit ab omni malo: super scutum potentis et super lanceam adversus inimicum tuum pugnabit. Vir bonus fidem facit pro proximo suo; et qui perdidit confusionem, derelinquet sibi. Gratiam fidejussoris ne obliviscaris; dabit enim pro te animam suam. Repromissorem fugit peccator et immundus. Bona repromissoris sibi ascribit peccator, et ingratus sensu derelinquet liberantem se. Vir repromittit de proximo suo, et cum perdidit reverentiam, derelinquetur ab eo. Repromissio nequissima multos perdidit diligentes, et commovit illos quasi fluctus maris. Viros potentes gyrans migrare fecit, et vagati sunt in gentibus alienis. Peccator transgrediens mandata Domini, incidet in promissionem nequam. *Et post unum versum*: Recupera proximum secundum virtutem tuam, et attende tibi ne incidas¹.

Et post sexdecim versus: Qui diligit filium suum, assiduatur illi flagella, ut lætetur in novissimo suo. Qui docet filium suum, laudabitur in illo. *Et post decem versus*: Equus indomitus evadit durus, et filius remissus evadit præceps. Lacta filium, et paventem te faciet: lude cum illo, et contristabit te. Non corrideas illi, ne doleas, et in novissimo obstupescant dentes tui. Non des illi potestatem in juventute, et ne despicias cogitatus illius. Curva cervicem ejus in juventute, et tunde latera ejus dum infans est: ne forte induret, et non credat tibi, et erit tibi dolor animæ. Doce filium tuum, et operare in illo, ne in turpitudine illius confundaris. Melior est

¹ Eccli. xxx, 1-27.

pauper sanus et fortis viribus, quam dives imbecillus et flagellatus malitia. Salus animæ in sanctitate justitiæ melior est omni auro et argento: et corpus validum, quam census immensus. Non est census super censum salutis corporis; et non est oblectatio super cordis gaudium. Melior est mors quam vita amara, et requies æterna quam languor perseverans. Bona abscondita in ore clauso, quasi appositiones epularum circumpositæ sepulcro. *Et post quinque versus*: Tristitiam non des animæ tuæ, et non affligas te metipsum in consilio tuo. Jucunditas cordis hæc est vita hominis, et thesaurus sine defectione sanctitatis, et exultatio viri est longævitas. Miserere animæ tuæ placens Deo, et contine: et congrega cor tuum in sanctitate ejus, et tristitiam longe expelle a te. Multos enim occidit tristitia, et non est utilitas in illa. Zelus et iracundia minuent dies, et ante tempus senectam adducit cogitatus¹.

Et post decem versus: Qui aurum diligit, non justificabitur; et qui insequitur consumptionem, replebitur ex ea. Multi dati sunt in auri casus, et facta est in specie illius perditio illorum. Lignum offensionis est aurum sacrificantium: væ illis qui sectantur illud, et omnis imprudens deperiet in illo. Beatus dives, qui inventus est sine macula, et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia et thesauris. Quis est hic, et laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua. Quis probatus est in illo, et perfectus est? et erit illi gloria æterna. Qui potuit transgredi, et non est transgressus, et facere mala, et non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Domino, et eleemosynas illius enarrabit Ecclesia sanctorum. *Et post aliquot versus*: Utere quasi homo frugi, iis quæ tibi apponuntur, ut non cum manducas multum, odio habearis. Cessa prior disciplinæ causa, et noli nimius esse, ne forte offendas. Etsi

¹ Eccli. xxx, 1-26.

in medio multorum sedisti, prior illis non extendas manum tuam, nec prior poscas bibere. Quam sufficiens est homini erudito vinum exiguum. *Et post aliquot versus*: Diligentes in vino noli provocare; multos enim exterminavit vinum¹.

Et post viginti sex versus: Loquere major natu, decet enim te, primum verbum diligenti scientiam; et non impediās musicam. Ubi auditus non est, non effundas sermonem; et importune noli extolli in sapientia tua. *Et post quinque versus*: Adolescens loquere in tua causa, vix cum necesse fuerit. Si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum. In multis esto quasi inscius, et audi tacens simul et quærens. In medio magnatorum loqui non præsumas; et ubi sunt senes, non multum loquaris. Ante grandinem præbit coruscatio, et ante verecundiam præbit gratia, et pro reverentia accedet tibi bona gratia. Præcurre autem prior in domum tuam, et illic avocare, et illic lude, et age conceptiones tuas, et non in delictis et verbo superbo. Et super his omnibus benedicito Deum, qui fecit te, et inebriantem te ab omnibus bonis suis. Qui timet Deum, excipiet doctrinam ejus; et qui vigilaverint ad illum, invenient benedictionem. Qui quærit legem, replebitur ab ea: et qui insidiosè agit, scandalizabitur in ea. Qui timent Dominum, invenient iudicium justum, et justitiam quasi lumen accendent. Peccator homo devitabit correptionem, et secundum voluntatem suam invenient comparisonem. Vir consilii non disperdet intelligentiam. *Et post quatuor versus*: Fili, sine consilio nihil facias; et post factum non pœnitebis. *Et post paucos versus*: Qui credit Deo, attendet mandatis; et qui confidit in illo, non minorabitur².

Timenti Dominum, non occurrent mala: sed in tenta-

¹ Eccli. xxxi, 5-30. — ² Id. xxxii, 4-28.

tione Deus illum conservabit, et liberabit a malis. Sapiens non odit mandata et justitias; et non illidetur quasi navis in procella. Homo sensatus credit Legi Dei, et lex illi fidelis. Qui interrogationem manifestat, parabit verbum¹.

Et post paululum: Vana spes, et mendacium viro insensato: et somnia extollunt imprudentes. Et quasi qui apprehendit umbram, et sequitur ventum; sic et qui attendit ad visa mendacia. Hoc secundum hoc visio somniorum, ante faciem hominis similitudo hominis. Ab immundo quid mundabitur? et a mendace quid verum dicetur? Divinatio erroris et auguria mendacia, et somnia male facientium vanitas est. Et sicut parturientis cor tuum phantasias patitur, nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio: ne dederis in illis cor tuum; multos enim errare fecerunt somnia, et exciderunt sperantes in illis. Sine mendacio consummabitur verbum, et sapientia in ore fidelis contemplabitur. *Et post quinque versus*: Multa vidi enarrando, et plurimas verborum consuetudines, Aliquoties usque ad mortem periclitatus sum horum causa, et liberatus sum gratia Dei. Spiritus timentium Deum quæritur, et in respectu illius benedicentur; spes enim illorum in salvantem illos; et oculi Dei in diligentes se. Qui timet Dominum, nihil trepidabit, et non pavebit, quoniam ipse est spes ejus. Timentis Dominum beata est anima. Ad quem respicit, et quis est fortitudo ejus? Oculi Domini super timentes eum: protector potentiae, firmamentum virtutis, tegimen ardoris et umbraculum meridiano, deprecatio offensionis et adiutorium casus, exaltans animam et illuminans oculos, dans sanitatem et vitam et benedictionem. Immolantis ex iniquo oblatio est maculata, et non sunt beneplacitæ subsannationes iniquorum. Dominus solus² sustinentibus se in via veritatis et

¹ Eccli. xxxiii, 1-4. — ² Forte Dominus salus.

justitiæ. Dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit in oblationibus iniquorum, nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis. Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui. Panis indigentium, vita pauperis est: qui defraudat illum, homo sanguinum est. Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum. Qui effundit sanguinem, et qui fraudem facit mercenario, fratres sunt. Unus ædificans et unus destruens, quid prodest illis nisi labor? Unus orans, et unus maledicens, cujus vocem exaudiet Deus? Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit illum, quid proficiet lavatio illius? Sic homo qui jejunit in peccatis suis, et iterum eadem facit, quid proficit humiliando se? orationem ejus quis exaudiet? Qui conservat legem, multiplicat orationem. Sacrificium salutare est attendere mandatis, et discedere ab omni iniquitate; et propitiationem litare sacrificii super injustitias et deprecatio pro peccatis, recedere ab injustitia. *Et post paucos versus*: Non apparebis in conspectu Dei vacuus. Hæc enim omnia propter mandata Domini fiunt. Oblatio justi impinguat altare, et odor suavitatis est in conspectu Altissimi. Sacrificium justi acceptum est, et memoriam ejus non obliviscetur Dominus. Bono animo gloriam redde Deo, et non minuas primitias manuum tuarum. In omni dato hilarem fac vultum tuum, et in exultatione sanctifica decimas tuas. Da Altissimo secundum datum ejus, et in bono oculo adinventionem facito manuum tuarum: quoniam Dominus retribuens est, et septies reddet tantum tibi. Noli offerre munera prava; non enim suscipiet illa. Noli respicere sacrificium injustum; quoniam Dominus judex est, et non est apud illum gloria personæ. Non accipiet Dominus personam in pauperem,

¹ Eccli. xxxiv, 1-31.

et precationem læsi exaudiet. Non despiciet preces pupilli, nec viduæ, si effundat loquelam gemitus. Nonne lacryma ad maxillam descendit, et exclamatio a maxilla ascendit propter illud quod descendit super illam? *Et post quatuor versus*: Oratio humiliantis se, nubes penetrabit¹.

Et post aliquantum: Cum viro sancto assiduus esto, quemcumque cognoveris observantem timorem Dei, cujus anima est secundum animam tuam. *Et post quinque versus*: Et in his omnibus deprecare Altissimum, ut dirigat in veritate viam tuam. *Et post viginti et unum versus*: Fili, in vita tua tenta animam tuam; etsi fuerit nequam, non des illi potestatem. Non enim omnibus omnia expediunt, et non omni animæ omne genus placet. Noli avidus esse in omni epulatione, et non te effundas super omnem escam². *Et post quatuor versus*: Honora medicum propter necessitatem; etenim illum creavit Altissimus. A Deo enim est medela, et a rege accipiet donationem. Disciplina medici exaltabit caput ipsius, et in conspectu magnatorum collaudabitur. Altissimus creavit de terra medicinam, et vir prudens non abhorrebit illam. Nonne a ligno indulcata est aqua amara? Ad agnitionem hominum virtus illius, et dedit homini scientiam Altissimus, honorari in mirabilibus suis. In his curans mitigavit dolorem ipsorum. *Et post quatuor versus*: Fili, in tua infirmitate non desperes; sed ora Dominum, et ipse curabit te. Averte a delicto, et dirige manus, et ab omni delicto munda cor tuum. *Et post unum versum*: Et impingua oblationem, et da locum medico; etenim illum Dominus creavit: et non discedat a te; quoniam opera ejus sunt necessaria. Est enim quando in manus illorum incurras: ipsi Dominum deprecabuntur, ut dirigat requiem eorum et sanitatem propter conversationem illo-

¹ Eccli. xxxv, 1-21. — ² Id. xxxvii, 15-32.